

DUBIUM OCTAVUM.

UTRUM IN INSTRUMENTO REQUIRATUR ALIQUA PRÆVIA MOTIO, QUÆ ELEVE- TUR A DEO AD EFFECTUM PRINCIPALEM, ET QUID SIT ILLA MOTIO?

Conclusio est affirmativa.

CCCLVII. Scilicet præviam illam motionem requiri, eamque esse actuale elevationem, et concursum quo Deus cum instrumento ad effectum principalem concurrat, ita ut præter illam motionem non sit necessarius alius concursus sic elevato instrumento et moto superveniens.

CCCLVIII. Pro intelligentia hujus conclusionis, et controversiæ præsentis notandum est, quod in uno principio certo omnes auctores conveniunt; in alio vero longe dissentiant. Id in quo conveniunt omnes est, quod in omni causa effective operante, ante causalitatem et efficientiam ejus requiritur virtus activa, seu activitas, qua constituatur in actu primo in ordine ad effectum producendum; et hujus ratio manifesta est, quia in omni causa efficiente et concurrente per causalitatem suam ad effectum, oportet et quod sit positivus ordo et habitudo ad effectum, et quod causalitas ipsa, seu actio exeat naturaliter, et emittatur a tali causa; ad utrumque autem acquiritur activitas, seu actus primus in causa efficiente, quia positivus ordo et inclinatio causæ ad effectum, non potest fundari nisi in aliquo, in quo contineatur talis effectus, et a quo pendere possit. Hoc autem continens effectum, et a quo pendet effectus, virtus activitatis effectus est. Similiter actio, ut exeat ab aliqua causa, requirit in illa actualitatem sufficientem emittente ex

se talem actionem quæ comparatur ad principium ut actus secundus; ergo oportet illam habere principium, quod sit actus primus; et hoc est activitas, seu virtus constituens causam efficientem in ratione principiantis actionem, et emittentis actum secundum. In hoc omnes conveniunt.

PROPONUNTUR QUATUOR MODI DICENDI.

CCCLIX. Dissentiunt vero valde in assignando, quid sit in instrumento, id, quo constituatur in activitate hac, seu in actu primo ad effectum, quem instrumentaliter producit. Licet enim requiratur ex parte instrumenti aliqua actio, qua dispositive operetur ad effectum principalis agentis, ut S. Thomas dicit, tamen hoc solum requiritur ut conditio, seu dispositio ad operandum instrumentaliter, non ut actus primus instrumenti, quia per actum primum oportet, quod respiciat ordine positivo effectum, ut sit ejusdem elevationis, seu ordinis cum illo, quod non habet per actionem suam propriam. Ad explicandum ergo hunc actum primum in instrumentis,

CCCLX. Quidam posuerunt qualitatem quamdam in instrumentis, per quam accipiant virtutem instrumentariam ad operandum; sicut videmus per characterem, qui est qualitas in anima inhærens, accipere sacerdotem virtutem instrumentariam, seu potentiam ad effectum supernaturalem consecrationis.

CCCLXI. Alii vero, quia qualitatem communicari instrumento, videbant esse communicari formam; et si per talem qualitatem habebat activitatem suam, id erat habere activitatem permanentem; et aliunde per solum motum Dei non videbatur communicari instrumento ac-

tum primum, sed secundum, dixerunt constitui in actu primo instrumentum per virtutem obedientialem activam, quia est inchoative, et incomplete virtus activa.

CCCLXII. Alii vero, et ut qualitatem fugerent, et in natura creata activitatem hanc obedientialem ab ipsa naturali entitate indistinctam tollerent, dixerunt causam instrumentalem non constitui in actu primo per aliquid intrinsecum, sed per extrinsecam subordinationem ad Deum, per quam ad omne ejus imperium subjicitur.

CCCLXIII. Denique alii dixerunt, quod cum instrumentum non constituatur in actu primo permanentem et formaliter, sed transeunter et ministerialiter, ideo aiunt constitui in actu primo instrumentum per motionem Dei, qua movet ipsum instrumentum, et per modum motus illud sibi conjungit, et communicat suam virtutem; ideoque motio divina, seu principalis agentis, constituit instrumentum in actu primo, id est, ipsa virtus principalis agentis (per modum motus et intentionaliter communicata) conjuncta et continuata cum instrumento.

CCCLXIV. Antequam id quod verius videtur in hac parte explicemus, est notandum, quod attribui per aliquam formam aliquem actum primum, potest intelligi tripliciter; uno modo totaliter, id est, tamquam per formam dantem totam virtutem ad agendum; sicut aqua per calorem sibi extrinsecus communicatum constituitur in ratione calefactivi; et ipsa aqua solum materialiter se habet, et ut sustentans formam sic activam: alio modo attribuitur per aliquam formam actus primus inchoative, sicut per characterem sacerdos constituitur inchoative instrumentum consecrationis, et sicut per potentiam intellectivam sine specie homo est inchoative in

actu primo ad intelligendum hoc aut illud objectum: tertio modo attribuitur per aliquam formam actus primus complete, quia videlicet tribuit actum complementem vim activam, quæ per aliam entitatem est inchoative, sicut per speciem impressam constituitur intellectus in actu primo complete, non quia species sit ipsa vis activa intelligendi, sed quia complet virtutem activam intelligendi, ut exeat in actum intellectionis.

PRIMA CONCLUSIO VIRTUS INSTRUMENTALIS NON EST QUALITAS PERMANENS.

CCCLXV. Igitur, quod instrumentum non constituatur per aliquam qualitatem, tamquam per totam virtutem agendi in actu primo, ad producendam gratiam, apud omnes constat. Non enim instrumento communicatur virtus ad principalem effectum, sicut communicatur calor aquæ ad calefaciendum, nam non potest dari qualitas creata productiva gratiæ, sicut calor est productivus calefactionis et calidi, quia cum gratia sit immediate participatio divinæ naturæ, in eo in quo excedit omnem creaturam, non potest dari aliquid creatum quod producat ipsam, sicut calor producit calidum; neque instrumentum hoc modo potest constitui in actu primo ad agendum, quia virtus productiva gratiæ spiritualis non potest inhærere instrumento corporeo, sicut calor aquæ: est enim ibi in esse completo calor, et inhæret per modum formæ informantis, quod nequit facere virtus spiritualis in re corporea; nec potest etiam operari per formam sibi communicatam ab extrinseco, cum sit contra rationem instrumenti operari per

formam sibi permanenter inhærentem.

CCCLXVI. Deinde etiam certum est, quod non potest per qualitatem aliquam attribui instrumento virtus agendi in actu primo complete, nam virtus quæ completur per qualitatem in actu primo est virtus quæ constituitur in actu primo ut forma, ex qua deinde procedit actio, ut a principio formali. Omne autem agens quod agit per formam, est agens principale, non instrumentale. Ideo enim ponuntur in potentiis hominis qualitates supernaturales, et habitus infusi, ut tamquam agens principale operetur actus supernaturales; si ergo per qualitatem tamquam per formam inhærentem constituitur aliquid in ratione productivi gratiæ, actio quæ exit ab ista qualitate, ut a forma et principio agente, exit ab ea ut a principali agente.

CCCLXVII. Et confirmatur, quia omne agens quod agit per formam, intendit producere effectum similem sibi in illa forma, quia effectum semper assimilatur agenti in forma, et principio producendi effectum; igitur si per qualitatem tamquam per formam constituitur in actu primo aliquod agens ad productionem gratiæ, intendit assimilare sibi effectum in illa forma, et sic effectus correspondebit huic agenti, ut habenti principium et formam productivam sui, quod est esse principale agens illius: si autem per illam qualitatem non constituitur tamquam per formam ad agendum; ergo non constituitur in actu primo quando qualitas illa forma est dicens ordinem ad actum secundum; alias non constitueret in actu primo, si non diceret ordinem ad actum secundum; vel ergo dicit ordinem ad actum secundum in quantum forma est et qualitas informans et inhærens, et sic per illam tam-

quam formam constituetur in actu primo; vel dicit ordinem ad actum secundum, non in quantum est qualitas informans et inhærens, sed ut est concursus et motio transiens; et sic frustra dicitur per qualitatem constitui in actu primo: motio enim et concursus distinguitur a qualitate informante et inhærente; et sic parva erit quæstio, an illa motio et concursus entitative sit qualitas, vel non sit qualitas, dummodo intelligatur non constitui per rationem formæ in actu primo.

CCCLXVIII. Si vero dicamus, per qualitatem non constitui in actu primo complete instrumentum, sed inchoative, si intelligatur de virtute inchoativa habente activitatem ad influendum in effectum, clarum est quod repugnat instrumento, ut probabitur in sequenti sententia; si autem sit inchoativa quasi capacitatem quamdam tribuens, id non erit inconveniens in instrumentis permanentibus, et in animatis ponere, sicut ponitur character in sacerdote; in sacramentis autem poni non debet, quia vel consistunt in successivo motu, vel operantur ratione usus et actionis successivæ, sicut eucharistia per manducationem.

SECUNDA CONCLUSIO NON CONSISTIT IN POTENTIA OBEDIENTIALI ACTIVA.

CCCLXIX. Secundo dicendum est, esse impossibile quod instrumentum constituatur in actu primo per potentiam obedientialem activam, sicut ponit Suarez, qui præcipue fundatur in eo, quod putat ad rationem instrumenti sufficere, quod non habeat virtutem completam ad aliquid efficiendum, sed indigeat ab alia causa compleri; vel quod non propria virtute, sed aliunde accepta agat.

CCCLXX. Quia impossibile est quod potentia obedientialis in creatura, intelligatur esse aliqua positiva inclinatio, et habetudo ad effectum supernaturalem, sed solum non repugnantia ut Deus utatur creatura sua ad omne, quod non implicat contradictionem; sed impossibile est instrumentum constitui in actu primo ad productionem gratiæ per non repugnantiam, sed per positivam inclinationem; ergo impossibile est per talem obedientialem potentiam constitui instrumentum in actu primo.

CCCLXXI. Major probatur, quia potentia obedientialis non est aliquid superadditum entitati creaturæ, sed ipsa entitas creaturæ, secundum quod nata est subijci et obedire creatori; hoc enim non habet creatura per superadditam entitatem, sed eo ipso quod creatura est; et sicut ut sit creatura non indiget alia entitate superaddita, ita neque ut sit obediens creatori, et non repugnans ad omnia quæ creator velit in illa, non indiget superaddita entitate; ipsa autem entitas creaturæ, sine alio superaddito, non dicit positivam inclinationem in supernaturalia, et positivum ordinem ad ipsa, quia cum supernaturalia excedant totum ordinem naturalem, et se habeant ut univocæ participationes Dei, omnis entitas creata ordinis naturalis remanet extra totum ordinem supernaturalium, et consequenter positive non potest ordinari ad illum.

CCCLXXII. Igitur per obedientialem potentiam (quæ non distinguitur ab entitate cujuscumque creaturæ) non potest positivus ordo, et inclinatio dari in supernaturalia; ubi autem incipit aliquid positive ordinari ad supernaturalia, incipit positive intrare talem ordinem: ergo quidquid manet extra, et infra talem ordinem, non positive ordina-

tur ad supernaturalia. Est autem aliquid in potentia obedientiali ad creatorem, per hoc ipsum quod est creatura: ergo per potentiam obedientialem non ordinatur positive ad supernaturalia, sed solum manet non repugnans ad elevationem supernaturalem; et ita neque inchoative ordinatur ad supernaturalia, siquidem neque inchoative potest intrare positive in talem ordinem.

CCCLXXIII. Minor autem argumenti probatur, quia ab instrumento constituo in actu primo ad effectum supernaturalem, positive egreditur effectio, seu productio illius; ergo debet per actum primum positive ordinari ad talem effectum; non ergo sufficit potentia obedientialis, quæ intra ordinem positivum ad supernaturalia non est.

CCCLXXIV. Quod si potentia obedientialis sufficeret constituere aliquid in ratione instrumenti in actu primo; cum in omnibus creaturis detur talis potentia obedientialis, hoc ipso quod creaturæ sunt, omnes essent instrumenta in actu primo ad producendam gratiam, aut effectum supernaturalem, nec particularem ordinationem in hoc haberent sacramenta, ut dicerentur esse in actu primo; sed omnes entitates creatæ essent formaliter instrumenta, solumque requireretur ex parte Dei applicatio, et concursus cum tali re ad effectum; applicatio autem non dat virtutem, nec constituit in actu primo id, quod applicatur, sed id supponit: ergo ante applicationem dicerentur res creatæ instrumenta formaliter in actu primo respectu effectuum supernaturalium.

CCCLXXV. Præterea, quia instrumentum respectu effectus, ad quem istrumentaliter concurrat, debet se habere ut ad aliquid excedens suam propriam virtutem, et solum ex participatione principalis

causæ concurrens; ergo respectu hujus effectus sic excedentis solum potest constitui in actu primo per participationem causæ principalis; omne autem quod antecedit in instrumento participationem agentis principalis, solum potest se habere dispositivè ad talem effectum, non vero ut activitas ejus; ergo repugnat quod instrumentum per virtutem activam sibi congenitam inchoative constituatur in actu primo respectu effectuum, quos solum instrumentaliter attingit, et ut excedentes respicit.

CCCLXXVI. Et hoc præsertim habet verum in instrumentis divinæ virtutis, quia in instrumentis quæ assumuntur ab agentibus naturalibus, aliquid est in instrumento, quo indiget agens naturale ad suum effectum, et ideo non potest æqualiter agere uno instrumento sicut alio; sicut non potest quis scribere securi, sed calamo; et ideo agens naturale non prævenit in instrumento suo omnem ordinem ad effectum: at vero Deus æque bene potest gratiam producere abluitione et ambulatione, aut quavis alia re: unde non supponit in instrumento aliquem ordinem ad effectum, sed omnem ordinem ipse prævenit, et ab ipso derivatur: ergo non debet esse inchoativa virtus activa in instrumentis Dei.

TERTIA CONCLUSIO: VIRTUS INSTRUMENTALIS NON EST EXTRINSECA ASSISTENTIA.

CCCLXXVII. Tertio dicendum est, non constitui instrumentum in actu primo per extrinsecam subordinationem ad Deum, sine aliqua creatura virtute, et immutatione in se suscepta, ut dicit magister Vincentius. Probatur, quia in primis id est expresse contra D. Thomam, qui fatetur in instrumen-

to esse virtutem creatam ad effectum supernaturalem; non ergo debet explicari per solam extrinsecam subordinationem ad Deum; virtus enim creata non est in Deo, sed in instrumento; id enim expresse ponit in tertia parte, quæst. LXXIV, art. IV, ubi inquit: « Quod verbis consecrationis inest quædam virtus creata ad conversionem sacramenti faciendam; et oppositum, inquit, quod scilicet supradictum est (id est, quæst. LXII, art. IV) et dictis sanctorum repugnat, et derogat dignitati sacramentorum novæ legis: » igitur contra D. Thomam est tollere hanc virtutem creatam ab instrumentis; et consequenter dicere, quod per solam extrinsecam subordinationem ad virtutem increatam, instrumentum constituitur in actu primo ad operandum.

CCCLXXVIII. Præterea, quia ut sæpe diximus, instrumentum non potest constitui in actu primo ad effectum supernaturalem, nisi per positivum ordinem, et inclinationem in effectum; per solam autem non repugnantiam seu ordinem negativum, nequit constitui in actu primo: cujus ratio est, quia actio positive exit ab instrumento, et sic requirit in ipso positivum ordinem ad effectum, nam si non est in causa, a qua exit actio, activitas sufficiens ut talis actio emittatur, nequibit exire a causa: si ergo positive emittitur talis actio, positivam activitatem exigit, ut emittatur: sed per extrinsecam subordinationem ad Deum non potest instrumentum acquirere positivum ordinem, et activitatem ad emittendam ex se actionem et effectum supernaturalem: ergo. Probatur minor, nam per extrinsecam subordinationem nihil ponitur in instrumento positivum, quod ante non erat; sed omne quod ante extrinsecam subordinationem erat, non poterat habere positivum

ordinem ad effectum supernaturalem, neque ab eo positive exire actio supernaturalis; ergo neque post extrinsecam subordinationem. Si enim nil in instrumento intrinsecum et positivum ponitur, quomodo ab ejus intrinseca et positiva entitate potest positive exire illa actio supernaturalis.

CCCLXXIX. Et confirmatur, quia ibi debet esse activitas positive constituens actum primum, a quo positive exit actus secundus; sed actus secundus non exit extrinsece ab instrumento, sed per propriam ejus operationem, alias frustra assumeretur instrumentum ad agendum, si ab illo non exit actio; ergo neque extrinsece solum debet constitui in actu primo, sed intrinsece.

CCCLXXX. Præterea, quia instrumentum respicit agens principale reali relatione, in quantum ejus instrumentum reale est, et ab eo realem dependentiam habet in agendo, quam non habet dum instrumentum non est; ergo hæc realis dependentia et relatio, requirit fundamentum reale et positivum, ex quo consurgat: sed non consurgit ex ipsa virtute Dei, neque fundamentum hoc est in Deo; tum, quia relatio est temporalis; tum, quia Deus non est instrumentum, neque dependet: ergo habet sacramentum temporale, et de novo in creatura; ergo aliquam realem immutationem supponit in creatura, in qua exurgat ista relatio; et si aliquid in ipso instrumento de novo recipitur, ut sit instrumentum Dei.

CCCLXXXI. Denique, quia et si in instrumentis, quæ naturaliter sunt colligata cum causa principali, non requiratur nova immutatio causæ principalis in instrumento, ut operentur; sicut in calore animalis ut producat carnem, non requiritur nova virtus ab illo proveniens, nempe ab animali; tamen in instrumen-

tis quæ de novo colligantur, etiam naturaliter, oportet novam dari immutationem, qua dicatur hoc instrumentum subordinatum tali causæ, et unitum illi; hæc autem nova immutatio non debet se tenere ex parte Dei: ergo ex parte instrumenti.

CCCLXXXII. Quod etiam patet, quia ipsa virtus Dei, ut tenet se ex parte Dei, non est actus primus instrumenti immediate; sic enim nil operaretur instrumentum, neque actionem emitteret; neque relatio instrumenti ad Deum posset esse actus primus instrumenti, si quidem relatio non est activa, neque ab ea exire potest operatio, et actus secundus effectus supernaturalis: ergo præter relationem instrumenti, et præter virtutem Dei increatam, necessarium est ponere aliquid in instrumento, quo habeat virtutem et activitatem ad operandum.

CCCLXXXIII. Et licet probabile sit, quod ad complendam activitatem et actum primum alicujus causæ, sufficiat sola assistentia extrinseca alicujus complementis, sine unionis inhærentiæ; sicut probabile est quod divina essentia in ratione speciei potest complere activitatem intellectus glorificati per solam assistentiam extrinsecam sui ad intellectum; tamen quod detur tota activitas et actus primus ad agendum alicui causæ per solam extrinsecam assistentiam, omnino repugnat. Nam oportet, quod agens, seu causa a qua exit actio, in se habeat esse agens, et in se habeat activitatem, et id quo agat, et quo emittat actionem, alioquin intelligi nequit, quod ab ejus entitate exeat actio, nisi in sua entitate habeat quo agat, et activitatem qua emittat actionem: licet ergo complementum talis activitatis possit intelligi, quod sit extrinsecum et assistens, tamen quod tota ratio agendi sit extrinseca, et